

*De Molendino super fluvio Chernacz jam demolito denuo non reaedificando.*

#### A r t i c u l u s 41.

**E**x quo etiam certum in Reverendissimi Domini Episcopi Zagrabiensis territorio, in decursu fluvii Chernacz, praeter scitum et requisitionem ejusdem Episcopi, contra praecitatum Art. 33. Anni 1618. in maximum Episcopalis et aliorum vicinorum territorii detrimentum, quatuor rotarum Molendinum, violenter extrectum, casu quodam sit demolitum; ne amplius in tantum dicti Episcopi Zagrabiensis et aliorum vicinorum detrimentum possit reaedificari; decernitur.

*Praesidium Berkisevina reaedificandum.*

#### A r t i c u l u s 42.

**P**orro, quo commodius opus reaedificationis Praesidii Berkisevina, pro defensione Confiniorum Colapianorum, adeo necessarii, aggredi possit; Majestas sua Sacratissima Anni 1618. Art. 31. Viginti septem millium Tallerorum ex Tricesima Nedelicensi, clementer deputatam summam, vel ex eadem Tricesima, vel ex aliqua alia certa Contributione, benigne persolvi facere dignetur; Status et Ordines supplicant. \*)

*De emptione et pulsu Boum, liberis habendis; Salisque Marini et frumenti invectionem absque exactione alicuius pensionis permittendam.*

#### A r t i c u l u s 43.

**J**uxta benignam ejusdem Sacratissimae suae Majestatis, sub praesenti Diaeta Statibus et Ordinibus factam resolutionem; Emptio et pulsio Boum, aliorumque quorumvis quaestuum exercitium, per territoria Regnorum Ungariae, Croatiae et Sclavoniae ac per totum Buccari, indigenis eorundem Regnorum Croatiae et Sclavoniae, solitis pensionibus persolutis, libera est et declaratur:

§. 1. Sicuti etiam Salem Marinum in eadem Regna importare; et frumentum ex eisdem auferre, absque ulla pensionibus; quibuslibet indigenis, absque quorumvis Capitaneorum, signanter autem Capitanei terrae Fluminis, ac aliorum etiam impedimentis, liberum sit:

§. 2. Quo in loco interdicta Camerae Styriacae, eatenus in contrarium facta; tolluntur penitus et abolentur. \*\*)

*Ut damnum per Rudolphum Paradeyser subditis Comitum a Zrinio illatum restituatur.*

#### A r t i c u l u s 44.

**C**aeterum quia vigore praemissorum interdictorum, Rudolphus Paradeyser Baro, \*\*\* Subditorum Comitum Zriniorum Equos, Salem et alias res in valore

\*) Urgetur; An. 1638. a. 14. An. 1647. a. 53. Et An. 1659. a. 102.

\*\*) Confirmatur praesens art. An. 1638. a. 54. An. 1659. a. 101. Vid. An. 1715. a. 117.

\*\*\*) Vide dicta: supra art. 38.